

solum, sed & multa alia suffurari potest. Sagarum superstitiosæ ceremoniæ nihil ad rem faciunt, sed fascinationibus his Diabolus miseris famellis imponit.

18. *An Magi expressa cum Diabolo conventionem renuncient Deo & Religioni?*

Resp. Aff. propter exempla apud *Bodin. lib. 2. Dæmonom. cap. 4.* ubi videre est, quam arctè sibi Diabolus sagas obstringat, alias nomini suo, vel scriptione, vel certis verborum pactis subscribere cogit, idq; non rarò proprio ipsorum sanguine, aliis imprimit certas notas, easq; interdum conspicuas, ne pacti initi obliviscantur, alias in nomine suo de novo baptisat, teste *Bodino loc. cit.* Scelus auditu horrendum!

19. *An Magi, venefici vel Sage per aquas probandi?*

Resp. Mos est antiquissimus, sed omni fundamento distitutus. In locis quibusdam est abrogatus, & rectè quidem; In quibusdam servatur. Verùm pius Magistratus non fidit huic, & quando modo non potest de repente abrogari, una, sed cum aliis apodicticis inquisitionum mediis, ad tempus servatur.

20. *An Magi & Sage capitali supplicio affiendi?*

Resp. Affirm. ex *Levit. 20, 2. 2. Reg. 17.* Interea in modo capitalis poenæ ex certis circumstantiis, ex libertate Christiana variat hodiernum Magistratus. Nihil obstat *Miseras mulierculas à Diabolo decipi.* Non enim soli Diabolo omnia sunt imputanda, sed & caro nostra incusanda, cujus libidini multi nimium indulgent. Vide *Bodinum* in scripto contra *Johan. Wierum.*

21. *An Christus hoc præceptum auxerit?*

Resp. Scribit *Smalcus de Divin. Christ. pag. 20.* Christus perfecit hoc Præceptum & implevit, dum nec in rebus veris illud assumere, vel invocare permittit, (nisi tale quid à nobis exigat Dei gloria.) Hinc & *Catechesis Racoviensis* ait: Nobis non solum pejorare non licet, verum nec in rebus veris jurare, nisi gravissimis causis adactis, quia Christus ait *Matth. 5.* Omnino ne juretis Resp. Non absolute Christus juramenta prohibet, quia *Hebr. 6. v. 16.* conceduntur, sed temeraria vetat. Reponunt: Christi doctrina & Mosis opponitur: verba legis recitantur & Christi sententia superadditur: Deinde in *V. Test.* juramenta falsa & dolosa erant prohibita, quod probare volunt ex voce *Hebræa Schaf,* ut accipitur *Exod. 23. v. 1. & Deut. 5. v. 20.* Resp. Cui Christi sententia opponatur, patet ex vers. 20. *Matth. 5.*